Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitivm Perfectionis, Et Virtvtvm Christianarvm

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

IV. Cur sancti Patres secundi Baptismi aut Martyrii nomine vocent traditionem illam, qua quis se Religioni per tria hæc vota dedicat, & consignat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40105

Visual Library

Capvt IV.

Cur ſancti Patres ſecundi Baptiſmi aut Martyrii nomine vocent traditionem illam, quá quis ſe Religioni per tria hæc vota dedicat & conſignat.

TAnti vero valoris ac meriti apud Deum eſt, quod ſe hoc modo quis per tria hæc Religionis vota Deo totum conſignet, vt eum Theologi & ſancti Patres per hanc omnium peccatorum remiſſionem conſequi communiter aſſerant: adeo vt, ſi tunc moreretur, recta ad cœlum, purgatorium non ſubeundo, euolaret, non ſecus atque is, quem mox à baptiſmo ſuſcepto demori contingit. Atque ideo id ſancti Patres, Hieronymus, Cyprianus, & Bernardus, ſecundum baptiſmum nuncupant: Idque fit, non per viam indulgentiarum: Nam plenariam Indulgentiam nouitij eo conſequuntur die, quo primum in Religionem admittuntur, ſuſceptoque ſacro habitu, peccatorum confeſſionem inſtituūt, & ad ſacræ communionis menſam accedunt. Verum alia illa prærogatiua non ſolum ex virtute eſt Indulgentiæ, ſed etiam ex virtute ipſius operis; propterea quod ipſum adeo heroicum, & excellens ſit, vt ex ſe ſine vllius indulgentiæ additamento, pro omni pœna, peccatis debita, aptum ſit ſatisfacere. Atque in huius rei confirmationem, adferunt Doctores illud, quod de S. Antonio legitur. Vidit hic per viſionem ab Angelis ſe in cælum ſuſtolli, dæmones vero ijs obuiam progreſſos, tota vi & contentione aſcenſum hunc impedire conatos, cumque de aliquot peccatis, quæ in ſæculo commiſerat, accuſaſſe: Illis vero reſpondiſſe Angelos: Si quid eum noueritis poſt vitæ monaſticæ profeſſionem commiſiſſe, eius eum accuſate, ac libere depromite: quia quæ alias in ſæculo admiſit peccata, iam pridem dimiſſa & expiata ſunt, & omne hoc debitum diſſolutum eſt, eo ipſo, quod religionem eſt ingreſſus. Quibus auditis, cacodæmones magna cum confuſione receſſerunt.

2. 2. q. vlt. art. 3. ad 3. & Caiet. ad 3. q. 189.
Vota religioſa plenariam peccatorum remiſſionē impetrant.
Paul. V. in Bulla Conſtit. anno 1606. S. Th. vbi ſupra.
S. Thom. vbi ſupra.

Nabuchodonoſori Regi ſuaſit olim Daniel Propheta: *Peccata tua eleemoſynis redime.* Porro ſi vel tenui eleemoſyna de aliqua operum ſuorum portiuncula erogata, peccatis ſuis Rex ille tam copioſe ſatisfecit: quanto magis ſuis ſatisfaciet is, qui omnem ſuam ſubſtantiam relinquit & erogat? Maius quippe eſt, dare & relinquere totum, quam non niſi partem aliquam. *Bonum eſt facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare; ſed melius eſt pro intentione ſequendi Dominum in ſimul donare, & abſolutum ſolicitudine egere cum Chriſto.* Vnde etiam S. Hieronymus libro aduerſus Vigilantium hæreticum, egregie hoc ipſum multo eſſe melius, probat teſtimonio ipſiuſmet Ieſu Chriſti, in Euangelio manifeſte dicentis: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me.* Maioris ergo perfectionis eſt, animo abdicare & deſerere omnia, ad Chriſtum nudum ſequendum. Et Gregorius in Ezechielem ſcribens (quem citat D. Thomas) ait: mundanos, qui facultates ſuas retinentes ſubinde ex iis in egenos aliqua erogant, Deo de ſua ſubſtantia quoddam velut ſacrificium offerre, quia ſimul aliquid dant Deo, & aliquid ſibi reſeruant: at religioſum, nihil ſibi proprium reſeruantem, ſed omnia ex Dei amore deſerentem, offerre Deo quodammodo holocauſtum, quod maius eſt ſacrificio. Quid erit ergo, propter Deum non modo facultates omnes, verum etiam ſeipſum, corpus ſuum per votum caſtitatis, voluntatem & intellectum quoque per votum obedientiæ relinquere? Quid erit ſemper ſeipſum ex Dei amore abnegare, & mortificare? Talis quippe eſt vita Religioſi. *Semper,* inquit Apoſtolus, *mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes.*

Dan. 4. 24.
Lib. de Eccleſ. dogmatib. cap. 71.
Hieronym. contra Vigilant.
Matt. 19. 21.
Hom. 20. in Ezech. 2. 2. q. 186. art. 3. ad 6.
Vota religioſa ſunt holocauſta.
2. Cor. 4. 10.

Operis huius excellentia & perfectio etiam patebit hinc: Nam, eſto quis ſe Deo Romam, vel terram ſanctam adeundi, omnes quas acquirit poſſeſſiones in egenos eſſun-

effundendi, tota vita ægris in hoſpitalibus famulandi, quotidie flagellis in corpus ſuum ſæuiendi, in pane & aqua ieiunandi, cilicium geſtandi, & aliorum id genus plurimorum exequendorum voto obligarit: Religionem tamen libere intrare poterit, & hoc ipſo omnes illæ obligationes & vota finem accipient, & in illam, vtpote rem meliorem, Deo acceptiorem, maioremque perfectionem inuoluentem commutata erunt. Sic illud iure Canonico præſcriptum eſt, & hæc communis eſt Doctorum omnium opinio.

Scriptura de voto [illegible]

Denique tam præſtans & heroicum opus eſt, Deo ſe totum per triplex votum dedicare & tradere, vt ſancti Patres Religionis ſtatum martyrio non immerito comparent, doceantque, Religioſam vitam non breue (vt martyrium veterum fuit) ſed continuum & diuturnum martyrium eſſe. Vnde Bernardus: *Illo, quo membra ferro cæduntur, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius.* Illud eſt, Religioſi martyrium ita horret, dum quidem exteriori ſpecie non eſt atque illud in quo per rotas falcatas, nouaculas, craticulas & ferrum membra diſſecantur, torquentur, duratione & continuatione, prolixius. Martyres quippe martyrium in vno gladij ictu finiebant: At Religioſi mortificatio nunquam terminatur, ſed ſemper & quotidie excoquetur, cruciatur, & mortificatur in abiectione & reputatione nominis, propriaque voluntas eius, ac iudicium aſſidue frangitur, iuxta illud Prophetæ: *Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Id eſt, ad omnia parati & diſpoſitiſſimus oportet, ſicut oues ad lanienam deſtinatæ. Ac veluti Martyres ſuo arbitrio tormenta, & genus mortis inferendæ ſibi non deligebant, ſed quæcumque ſibi iudices infligenda decernerent, ad ea æqua mente ſubeunda diſpoſiti erant: ita Religioſus, ad inſtar Martyris, diſpoſitus & paratus ſic oportet ad quodlibet mortificationis genus accipiendum.

Religioſi ſtatus martyrio [illegible]

Bern. ſer. 30. in Cant.

Pſal. 43. 22.

Sicut ergo ſancti Patres & Concilia docent, ſuo Martyrem martyrio omnium peccatorum ſuorum remiſſionem conſequi, & recta ſine vlla purgatorij expiatione, ad cæleſtem gloriam admitti, atque adeo iniuriam facere eum Martyri, qui pro eo orat, idque quia martyrium tam heroicum & excellens eſt opus, vt, ſicut Chriſtus aſſerit, *maiorem caritatem nemo habeat, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, cum quod dignius & amplius det, non debeat: ita quoque per hanc oblationem, quâ ſe quis in Religione Deo per vota perpetua deuouet; eo quod tam diuinum & heroicum ſit opus, vt det quidquid dare poteſt, & amplius quod det non habeat, omnis illi pœna peccatis eius omnibus debita remittitur, itaque depuratur, vti erat, cum recenter è baptiſmi lauacro emergeret, & tanquam ſi martyrio laurearetur, atque hac de cauſa ſacrificium hoc, & oblatio, à ſanctis Patribus baptiſmo, & martyrio æquiparatur: quod quoad hunc effectum illis ſimile ſit.

Bern. de temp. ſer. [illegible]

Clem. Alex. lib. 4. Strô.
Auguſt. lib. 13. de ciuit. c. 8.
Hermes diſcipulus S. Pauli lib. 3. Paſtoris ſimilit. 9. c.
Cum Matthæ. *de celebrat. Miſſarum.*
Ioan. 15. 13.

CAPVT V.

Adeo libertas hominis per vota non tollitur, & imminuitur, vt etiam perficiatur.

OBijcere fortaſſe quis poterit ac dicere: Video quidem omnia quæ commemoraſti bona & vtilitates in hac totali ſui per hæc vota Deo conſignatione ampliſſime contineri; at negare non potes, quin ſuam homo libertatem hoc pacto deperdat, eaque ſe ſpoliet, quæ tamen tantum bonum eſt, vt, ſicut aliuis ille ait, nullo ſit pretio redimibilis & comparabilis:

Non bene pro toto libertas venditur auro.

Obiectioni huic commode reſpondet D. Thomas, & ait, non parum te decipi, quod libertas per vota adeo non auferatur, vt etiam perficiatur: Clare autem id ſic demonſtrat. Votorum eſt, voluntatem in bono ſtabilire & ſolidare, ne ab eo tam facile diuertat & retrocedat: Hoc vero libertatem non tam aufert, quam perficit; perin- *2. 2. q. 88. art. 4.*

Vota religioſa quare nō minuāt libertatem.